



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologōn diaphorōn syngammata palaia kai orthodoxa

Gessner, Conrad

Tiguri, 1560

VD16 G 1810

CL. V. D. Henrico Bvllingero Ecclesiae TigvrinaePastori Fidelissimo,
Conradus Gesnerus S. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72021)

CL V D HENRICO BULLINGERO

GERO ECCLESIAE TIGVRINAE PASTORI FIDE-

lissimo, Conradus Gesnerus S. D.

Conuerti his diebus, clarissime Bullingere, Athenagoræ orationem pro Christianis, ad imperatores Romanos Antoninum & Commodum eius filium, ex Graeco in Latinum sermonem: quæ quum & apprime pia & erudita admodum argutaq; mihi uideretur: cum has ob causas, tum antiquitatis ergo, ut quàm syn-cera & simplex ueteris Ecclesiæ fidei professio fuerit, hoc etiam testimonio constaret, non indignam iudicauim quam humanitati tuæ cognoscendam exhiberem. Debueram enim iam dudum ætatem, propter perpetuam in me beneuolentiam tuam, propter multa & magna beneficia, aliquod animi grati & memoris argumentum tibi deferre: quamuis liberalitas tua id non requirat. Sed nihil ferè hætenus in multis illis & laboriosis meis lucubrationibus fuit, quod uel aptum professioni tuæ, uel dignum abs te legi iudicare potuissem. Plerasque enim ita conscripsi ut ad inquirendum potius aliquid comparatæ, quàm ad continuandam earum lectionem idoneæ sint. Nunc demum, hunc libellum interpretatus, occasione qua, aliqua ex parte, nominis, quo tibi obstringor, non dicam rationibus satisfacerem, sed agnoscerem debitum, obtigisse mihi gaudeo. Nempe theologi & philosophi doctissimi ad imperatores philosophos de religione nostra conditam orationem, tibi quoque theologo & philosopho, hoc est optimo sapientissimoque uiro, offerri ac dedicari æquum erat, tibi inquam, cui tandiu maiora, imò meipsum debui. Tu pro tua benignitate, quam hætenus facillimam semper expertus sum, animum meum magis, quàm munus tantillum: & munusculi argumentum potius quàm magnitudinem perpendes: meq; id, si per ingenium atque officium licuisset, elegantius ac te dignius adornaturum fuisse, cogitabis: & æqui honiq; consules. Quod si non omnia in eo perlegendum, multa tamen iucunda tibi futura, non dubito. Quoniam ea prudentia tua est, ut non statim sis reprehensurus quòd philosophus grauis & Christianus, Gentilium passim testimonia, philosophorum, historiographorum & poetarum proferat: quòd argumentis ad naturam Diuinam eiusq; unitatem asserendam, à ratione humana profectis utatur. Postulabant hæc ea tempora: & Antoninus Imperator, apud quem perorauit, summus erat philosophus: quod uel ex libris illis duodecim qui etià nunc Græcè ab eo conscripti *πρὸς τὴν εὐρώπην*, apud me extant, luculenter apparet. Cum hoc igitur philosophandum sibi arbitratus est, sed hoc & parcus facit: & coronidem addit, rationes huiusmodi, humanas esse, nec undiquaque ueras, aut omnium assensione dignas: qualia prophetarum oracula sunt, quibus nitimur Christiani. Sed quid ego hæc tibi? Noctas Athenas. Lege igitur, quum uacabit, obsecro, Bullingere: & si quid uel ab authore dictum non approbaris, uel à me minus rectè translatum censueris, admoneto: ut uel nunc, uel olim, ea de quibus monueris, emendare, aut annotationibus nostris inferere, utilitate publica, liceat. Non solùm enim patronum te & uindicem cùm Athenagoræ, tum Gesneri interpretis, sed arbitrum atque iudicem esse cupio. Vale. Tiguri, Nonis Februarij anno Salutis

M. D. LVII.

Aa 2